

ad Majoricum et Joan. quæ clare indicat, fuisse prius in Ecclesia morem communicandi sub una specie. Potuisset Dominus æque facile vinum ex aqua vel e petra educere, ut refectio hæc perfecta esset; id tamen minime fecit, quia necesse non erat.

V. Quoad dispositionem suscipienti necessariam. Nam primo antequam his panibus populum cibaret, prius languidos curavit, qui erant in turba, ut habet Matthæus, capite XIV. Ut ostenderet prius sanandos esse peccatores per poenitentiam antequam adeant mensam Domini; siquidem sacramentum hoc vivorum et sanorum est, non mortuorum aut languentium. Et sicut languido non sapit cibus, ac si fortior sit, ei nocet; sic eucharistia gustum ad fructum non affert frigidis et peccatoribus, imo quia est cibus fortis, plurimum damni affert: *Nemo mittit vinum novum in utres veteres, ait Dominus, alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt*, Lucæ V. Eucharistia vinum novum est, et sanguis novi testamenti, ut ait Dominus; non est ergo mittendum in utres veteres, id est, in corpora subdita peccatis, ne dirumpat illa, quemadmodum Judæ fecit, qui post indignam communionem *suspensus crepuit medius et diffusa sunt omnia viscera ejus*, Act. I. De talibus etiam apostolus I. Cor. XI. ait: *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi* (qui videlicet iudicium sibi manducant et bibunt.) Et unde spiritualiter multi adhuc tam infirmi et imbecilles post communionem, nisi quia languidi accedunt, vel etiam sine dolore peccatorum et proposito emendationis.

Secundo montem subiit Dominus; sic ante eucharistiæ sumpcionem ascendendum ad montem contemplationis, ut prius meditemur quid facturi et quo ituri simus, et cum Sancto Francisco cogitemus: *Deus meus et omnia: quis es tu, et quis sum ego!* Item ut mentem sursum erigamus et in cælo defixam geramus. Ideo ante consecrationem canit sacerdos: *Sursum corda*. Cum ad principem virum ituri sumus, prius sedulo cogitamus, quomodo coram apparituri, quid locuturi, vel petaturi simus, etc. Cur non idem faciendum et multo diligentius, cum accedimus ad mensam Dei? Unde Sapiens, Prov. XXIII. ait: *Cum sederis ad mensam principis, statue cultrum in gutture tuo*; id est, sedulo perpende cum quo cibum sumas, quid loquaris, quomodo comedas, etc.

Tertio in locum desertum ivit. Sic ante communionem vitandi tumultus et distractiones, colloquia et commercia sæcularia. Certe manna olim Israelitis in deserto tantum pluit, nec prius

quam farina Ægyptiaca defecerat, Exod. XVI. Sic quia desertus fuit locus, ubi populus hodiernus non potuit cibos emere, ideo Dominus illi providit. Itaque sensus et cogitationes abstrahendæ a regionibus mundi, id est, rebus sæculi prius desideratis, si cum gustu velis communicare et fructu.

Quarto populus discubuit super fœnum. Ita sedendum; primo super sensum et sensualem intelligentiam, nec inquirendum curiose, unde et quomodo pascendi simus. Nec disputandum cum Andrea et Philippo, id est, sensu et ratione de sufficientia, quia *et si sensus deficit, ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit*.

Secundo super fœnum rerum caducarum, eas contemnendo, siquidem tunc ad Deum imus, solum verbum bonum. Fœnum pabulum est jumentorum, sic voluptates, opes, honores, et negotia sæcularia, pabula sunt mundanorum, quæ s. eucharistiæ et negotio communionis postponenda.

Quinto post peractam refectionem, voluerunt rapere Christum, ut facerent eum regem suum. Sic, postquam introduximus Christum in cor nostrum, debemus eum constituere regem nostrum, ut *dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignetur Rex cæli et terræ, corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros in lege sua et in operibus mandatorum suorum*; quemadmodum orat Ecclesia. Ut ita dicere possimus cum apostolo: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*; ad Gal. II.

VI. Quoad effectum. Nam illi qui hodiernæ refectioni interfuerunt, postea cognoverunt Dominum et glorificaverunt eum dicentes: *Hic est vere propheta*; sic qui digne frequentant hoc sacramentum, plurimum in cognitione rerum divinarum proficiunt. In cognitione, inquam, non theologica aut philosophica, etc. Quia hæ non sunt necessariae, sed ea quæ ad salutem promovet; qua ratione nimirum vitiis obviare, virtutes venerari et colere, tribulationes supportare debeamus; quomodo dæmonum insidias eludere et superare, etc. quæ omnium saluberrima est scientia.

Secundo saturati sunt. Ita eucharistia satiat appetitum, quantum in terris fieri potest; quia tribuit nobis pignus æternæ felicitatis. Contentus est operarius diurno, tametsi plumbeo denario, quia si eum in fine hebdomadis exhibeat patri-familias, argenteum pro eo recipiet. Non afficit quidem gustum hic eucharistiæ susceptio, nec confert gaudium illud et satietatem mirificam, qua perfruuntur in cælo beati; quia hic non est locus ipsius dulcedinis; sed pignus tamen illius

capimus, quod si ad mortem usque retinemus et Deo exhibemus, ibi demum dulcedinem nobis afferet.

VII. Quoad universitatem sumentium; siquidem *manducaverunt omnes*, inquiunt evangelistæ. Nemo fuit ex Christi sectatoribus et auditoribus, qui ab hac refectione se excusaret. Ita nemo esse debet, qui paschali saltem tempore a mensa Domini se subducat. Talis enim meretur a Deo repudiari, ita ut ultra ad mensam hanc admitti non deberet, quemadmodum Vasthi regina repudiata est ab Assuero, nec ultra ad eum intrare permissa, sed de regno deposita, quod vocata ad splendidissimum convivium regis, quod instituerat rex cunctis regni proceribus, comparere detrectasset; hæc enim sua pervicacia non tantum offendit regem, sed etiam subditos; quia malum exemplum dederat aliis mulieribus, ut virorum imperia contemnerent, Esther, I. Similiter qui præceptum communionis in paschate negligunt, et Deum contemnunt, qui tantis impensis convivium hoc nobis paravit; et aliis malo sunt exemplo, proindeque digni qui postea hæc priventur mensa in articulo mortis. Non ita nos, auditores, non ita desipiamus; sed potius omnibus aliis neglectis ardenti desiderio inhiemus mensæ Domini, quæ æternum nos saturare potest. Ægyptium illum Putipharem legimus, Gen. XXXIX. totius familiæ curam et administrationem Josepho tradidisse; nec aliud novisse, nisi panem quò vesceretur; hoc est, nullius rei curam gessisse, nisi ut accumberet mensæ, et fruereetur iis, quæ parasset Joseph. Hunc in modum præ omnibus aliis curis, hæc nostra sit, si non sola, saltem primaria, ut ad mensam Domini accumbamus fruamurque bonis ejus. Cætera omnia postponamus et aliis committamus. Hæc sit cura nostra, hæc unica notitia: nosse et comedere panem illum, qui dat vitam mundo, etc.

CONCIO VI.

MANNA EUCHARISTIÆ TYPUS.

I. Quantum ad eucharistiam secundum se. — II. Quantum ad effectum ejus. — III. Quantum ad suscipientes. — IV. Quantum ad ministrum.

THEMA.

Unde ememus panes, ut manducent hi. Joan. VI.

Preludium hujus miraculi fuit manna illud Hebræis in deserto datum e cælo desuper. Unde illi, qui huic refectioni interfuerunt, paulo post mentionem faciunt illius mannae, hoc eodem sexto Joannis capite. Utrumque vero miraculum

figura fuit eucharistiæ, ut hæc, quæ miraculum miraculorum est, stabiliretur his miraculis. Ostendimus hoc de hodierno miraculo, ostendamus idem quoque de manna; quia enim paulatim appropinquamus ad nostrum pascha et cœnam illam magnam, decet nos in itinere sæpius de ea loqui, ut majori fructu et animæ gustu eam degustemus.

I. Quantum ad ipsam eucharistiam secundum se, primo, manna ab admiratione nomen habuit; dicebant enim eo viso Hebræi: *Manhu*, id est, quid est hoc? Inde man seu manna vocatum. At multo mirabilior eucharistia, quæ plurima continet miracula, veluti Christum integrum in exigua panis figura, eundemque in plurimis locis, accidentia panis absque subjecto persistentia, etc. Hebræi manna videbant, tangebant, gustabant, et tamen nesciebant quidnam proprie esset; similiter nos eucharistiam videmus, tangimus, gustamus et tamen non intelligimus miracula, quæ in ea continentur.

Secundo species mannae erat exigua et albi-cans. Erat enim minutum et quasi pilo tusum, Exod. XVI. bdellii colorem habens, Numer. XI. hoc est, colorem gummi seu lacrymæ pellucidæ, velut Septuaginta vertunt, crystalli. Talis autem est et eucharistiæ species exiguae quantitatis et albi coloris, Christus in ea contentus, pilo crucis contusus et pelle mortalitatis exutus fuit.

Tertio manna panis cæli et panis angelorum, id est, panis præstantissimus dictus est. Eucharistiæ panis vere cœlestis, quia Christum de cælo ad nos defert: panis nobilissimus et angelicus, quem solum angeli desiderarent et comederent, si cibo egerent.

Quarto dulcedo in manna fuit abscondita; nemo in tam vilibus granulis tantum et tam varium quæsivisset saporem ac dulcedinem. Ita eucharistia manna est absconditum, Apocal. II. juxta communem expositionem. In ea enim Christus fidelibus occulto modo per communionem datur, qui postea victoribus in cælo clare communicabitur. Nemo sub tam abjectis speciebus panis et vini tantum et tam suavem Dominum quærere poterat, nisi Dominus ipsemet id affirmasset, et effectus demonstraret.

Quinto manna fuit panis absque semine, absque aratione, absque sudore et labore præstitus, comedi enim poterat sicut in terram lapsus, in eaque inventus erat. Unde Sap. XVI. dicitur: *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore*. Similiter Christi corpus ex sola virgine et Spiritu Sancti irroratione prægnatum est; ipsaque eucharistia sine labore, pauculis sacerdotum verbis conficitur, et nobis in Ecclesia exhibetur.

nullo pretio, nullo labore requisito, nisi qui ad præparandam animam adhibendus est.

Sexto manna referebat eorum ciborum sapes, quos unusquisque appetebat, tametsi in eorum ciborum substantiam non mutaretur, adeoque accidentales eorum proprietates continebat absque illorum propriis substantiis, saporis carnis sine carne, etc. Ita in eucharistia sunt accidentia; color, sapor, odor panis et vini, sine substantia panis et vini.

II. Quantum ad effectus ejus. Primo mannae sapor erat similis cum melle, Exod. XVI. Hic erat ordinarius et congenitus mannae sapor, nisi quis alium desiderasset. Suavitatem ejus describit Sapient. cap. XVI. cum ait: *Panem de caelo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem.* Mellea item et suavissima dulcedo eucharistiae sive Christum in ea contentum spectemus, qui est fons omnis dulcedinis. Unde S. Thomas, opusc. LVII. dixit: *Suavitatem hujus sacramenti nullus digne exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte degustatur,* sive amorem cum quo exhibetur, qui quantus fuit in passione, cum se pro nobis in crucem et mortem obtulit Christus, tantus est et in hoc sacramento, in quo se manducandum nobis dat; hic enim priorem illum nobis in memoriam reducit, sive finem ob quem exhibetur, qui est beatitudo caelestis, cujus pignus nobis datur in eucharistia.

Secundo manna sapiebat id quod quisque appetebat; de eo enim dicitur, Sap. cap. XVI. *Desertiens uniuscujusque voluntati; ad quod quisque volebat, convertebatur.* Sic eucharistia omnium saporum suavitatem eminenter continet, et pro cuiusque devotione ac dispositione sapit accipientibus et prodest. Sicut etiam manna Hebraeis carnalibus, carnem appetentibus ideo non sapuit, quia ad internam dulcedinis varietatem non attendebant, sed externam tantum varietatem ciborum in forma, odore, etc. desiderabant, quam manna non habebat: unde aiunt: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man,* Numer. XI. ita etiam nauseam eucharistiae capiunt homines mundo et sensibus addicti, qui internam et spiritualem ejus dulcedinem non curant, sed sensuales tantum delectationes quaerunt.

Tertio post manna datum et gustatum Hebraei cum Amalec pugnarunt, cum paulo ante solus pro eis pugnasset Deus contra Aegyptios, pugnarunt, inquam, et vicerunt. Sic eucharistia roborat Christi milites, ut strenue pugnare contra hostes suos praesertim invisibiles, aliaque vitae caelestis impedimenta et tentationes superare

queant, quae cum non nisi adultis obijciantur, ideo etiam eucharistia non datur infantibus, sed adultis tantum.

Quarto mediante et sustentante manna per quadraginta annos in deserto, pervenerunt tandem Hebraei in terram promissionis, ubi cum de optimis terrae illius frugibus edere coepissent, defecit manna. Ita in hac vitae nostrae peregrinatione et mundi hujus deserto sustentat nos eucharistia, et facit perseverare in via et vitae hujus difficultatibus, donec perveniamus ad patriam caelestem nobis promissam, ubi cum coeperimus frui Christo, non jam opus erit cibo eucharistico, nec jam sub speciebus sacramentalibus, sed facie ad faciem illum intuebimur. Idem in eo expressum est, quod manna aliis omnibus diebus, praeterquam in sabbato pluerit.

III. Quantum ad suscipientes. Primo manna non est datum Hebraeis nisi in deserto, et post relictas ollas Aegypti consumptamque farinam, quam inde secum tulerant; ita eucharistia digne et cum fructu non percipitur, nisi prius homo deserat voluptates carnales mundique illecebras. Quamdiu enim haec illi sapiunt, tamdiu desipit et inutilis, si non noxia, est eucharistia. Ad haec e suis tabernaculis egredi debuit populus ad colligendum manna; sic enim dicitur Exodi decimo sexto: *Egredietur populus et colligat quae sufficiunt per singulos dies.* « Et nobis, (inquit Rupertus in eum locum,) spiritualiter egrediendum est ut colligamus verum manna. Sed unde egrediemur? De pristina conversatione et de vetustate vitae. Nondum enim deposito vetere homine, non est nobis hoc manna colligere, non est nobis hunc panem Dominicum manducare. »

Secundo non est illis datum nisi post transitum maris rubri. Similiter eucharistia non est accipienda nisi post transitum maris poenitentiae et confessionis, quod sanguine Christi rubricatum et sanctificatum est ad peccata abluenda. Caeterum post admissum peccatum mortale necessario praecedere s. communionem debet confessio sacramentalis, ut declaravit Concilium Tridentinum.

Tertio una cum manna descendebat ros quidam concretus, ita ut ros praecederet et terram veluti mappa candida mensam insterneret, quo pimirum manna puro loco reciperetur, et purum atque immune a sordibus colligeretur. Colligitur hoc ex Num. XI. ubi dicitur: *Cumque descenderet ros super castra, descendebat pariter et Man,* pro quo est in Hebraeo: *Descendebat super eum manna.* Ita Hebraei Lyranus et Abulensis, qui rorem illum vocant pruinam. Quod si igitur manna non nisi purificata et instrata recidi voluit terra.

quanto magis decet ut eucharistiam nemo excipiat nisi corde sanctificato et variis virtutum actibus exornato.

Quarto manna de nocte tantum cecidit invisibiliter ut patet Num. XI. nec nisi circa castra Hebraeorum, ut habetur Exod. XVI. et Num. XI. Ita sacramentum hoc fide credi, non intellectu comprehendi debet. Proinde etiam non nisi fidelibus datur in Ecclesia, in qua etiam sola veri et legitimi sunt sacerdotes. Idem in eo significatum, quod manna ad solem liquefieret, cum tamen ab igne nil pateretur, ut habetur ibid. Etenim eucharistia solem curiositatis et sapientiae carnalis ferre non potest. Unde legimus non semel evanuisse eucharistiam iis, qui de ejus veritate dubitabant. Caeterum amoris ignem et rationes ac contemplationes a fide profectas optime sustinet.

Quinto manna ultra mensuram debitam et constitutam collectum postero die putrefiebat et vermibus scatebat (praeterquam in sabbato) Exodi XVI. Ita eucharistia indigne sumentibus vertitur in vermem et judicium, apostolo teste.

Sexto aequalem mannae mensuram, seu unum gomor, omnes colligebant, nemo abundavit, nemo defectum habuit, sive plus collegissent, sive minus; omnes enim post collectionem suam reperiebant gomor, nemo plus, nemo minus, eratque illud gomor omnibus sufficiens, ut habetur Exod. XVI. Ita in sumptione eucharistiae sumit unus, sumunt mille; tantum isti, quantum ille, ait S. Thomas in hymno Ecclesiae. Unde bene manna semini coriandri simile dicitur, ibidem. Nam Philo, l. II. alleg. vet. leg. docet ex rei rusticae peritis, coriandri semen etiamsi minutissime concidatur, singulas tamen particulas et micas germinare, non secus ac coriandrum integrum. Sic in eucharistia tantundem virtutis continent singulae particulae divisae hostiae, quantum hostia integra.

Denique mane colligendum erat, quia ad solis ortum mox liquefiebat, Sap. XVI. Ita s. eucharistia mane et a jejunis sumenda, nisi necessitas aliud postulet.

IV. Quantum ad ministrum. Manna enim vocatur esca angelorum, Sapient. XVI. *Angelorum esca nutritivisti populum tuum.* Et panis angelorum, Psal. LXXVII. *Pluit illis manna ad manducandum et panem caeli dedit eis, panem angelorum manducavit homo.* Sic vero appellatur, quia angelorum ministerio et manibus conficiebatur in superiore aere, indeque populo deiciebatur. Recte etiam eucharistia panis angelorum dicitur, quia manibus sacerdotum conficitur, qui Malach. II. *Angeli vocantur: Labia sacerdotis custodient scientiam,*

quia angelus Domini exercituum est. Angeli conficiebant quidem manna, sed non est illis datum conficere eucharistiam. Adoratores ejus sunt, non effectores. Unde quoad hoc major est sacerdotum dignitas quam angelorum. S. Nilus D. Chrysostomi discipulus ad Anastasium episcopum scribit, vidisse ipsum Chrysostomum saepius sub missa plurimos de caelo labi angelos et vultu demisso altare circumsistere et sacerdotibus assistere, ipsosque celebrantes adjuvare et roborare. Quod si angeli et angelis potiores sunt hac in re sacerdotes, videndum illis est, ut angelos imitentur moribus quantum fieri potest. Quid vero agit angelus? Diu noctuque semper assistit coram Deo eumque laudibus celebrat. Ergo et sacerdos assiduus sit in Dei laude et honorariis precibus, statis horis persolvendis, missaque crebro peragenda. Angelus Dei honorem zelat, promovet et tuetur; faciat hoc et sacerdos, ardeat zelo honoris divini. Angelus Dei nuntius est ad homines, voluntatem iis divinam annuntians, idem munus est sacerdotis, e cujus ore legem Dei requirere caeteri homines debent. Mal. II. Angelus totis viribus animarum salutem quaerit; hoc est quod requiritur etiam a sacerdote. Angelus custodit commissam sibi animam; custodiat et sacerdos commissas sibi oviculas. Angelus in Dei gratia semper perseverat, nec unquam fatigatur in servitio divino; curet et sacerdos ut semper in statu gratiae sit, et in vitae sanctae proposito et fervore perseveret.

Deinde angeli demittebant ex aere manna ad modum pluviae; unde dicitur: *Pluam vobis panes de caelo,* Ex. XVI. et Ps. LXXVII. *Pluit illis manna.* Hunc in modum sacramenta a sacerdotibus ad instar pluviae dispensanda sunt, ex aequo videlicet omnibus, non minus egenis, quam divitibus, sicut pluviae beneficium omnibus commune est.

Denique angeli conficiebant manna in caelo, id est, in sublimi aere; ita sacerdotes dum conficiunt sacramenta, praesertim eucharistiam, attollant mentem a terra et cum Deo in caelo conversentur, quasi cum Deo et inter caelites agant, ut possint dicere cum apostolo: *Nostra conversatio in caelis est,* ad Phil. III.

Vidimus manna Hebraeorum plurimas ob causas nostrae eucharistiae typum fuisse. Nollem tamen Hebraeos typum esse Christianorum. Illi enim tam mirifici et praestantis cibi nauseam ceperunt, eique ollas Aegyptias, vases, caepe et alia, stulte praetulerunt ad suam ipsorum perniciem. Nos ergo in hoc Judaeos nequaquam imitemur, sed potius plebem illam, quae in hodierno evangelio post refectionem rapere Christum voluit et regem sibi constituere.